

5.

ELOGIUM

Quod

Genus, forma, Vita & Virtus

Generosissimæ Matronæ

Dominæ

CATHARINÆ ELISABETHÆ

â KÜHLEWEIN,

DN. JOHANNIS BESSER,

CONSILIARII BRANDENB.

Conjugis desideratissimæ

meruit,

Pietate in defunctam,

In superstites obsequio,

L. M. Q.

F. F.

PHILIPPUS JACOBUS Hartmann/ D.

Med. & Hist. Prof. Regiomont.

ANNO M. DC. LXXXIX.



*N*ascendi jactes usque sortem;
Forma superbias specie;
Successus numeres fortuna;
Ipsarum Virtutum in subsidium voces copias;
Mortalia Mortalibus hæc inesse omnia,
Uno vis exemplo addiscere?

KÜHLWEINIA

Spectatum satis dederit:

HUIC

Natales Majorum illustraverat splendor,
Tot præcedentibus imaginibus,
Generosa ut in ortus suos surgeret.

HUIC

Formam VENERES expoliverant sollicito,
Collatis velut in *Pandoram* donis fociis:
Frontem formaverat ingenuitas,
Character indolis ut esset bonæ:
Genas in niveo candore mixtus tinxerat rubor,
Optimum pudori præferens colorem:
Oris decus blanda junxerant labella,
Monstrato Modestiae & taciturnitatis confinio.

Totus

Totus vultus liberalem inter & verecundum ambigens
 Suavem humanitatem spirabat undique:
 Adeo *Corporis habitum animo parem* voluerunt Charites.
 Contulisset fama senioris ævi miratrix priscum decus omne!
 Pulchrior tantô ejus lucebat forma,
 Clarior quantô ignes lucet inter *Cynthia* minores.
 Non sic eburno *Pelops* humero insignis;
 Non sic, *Narcissus* gemino mirabilis fidere;
 Cedite dociles *Penelopæ* manus;
 Veloces *Daphnæ* cedite pedes!
 HUIC
Fortunam suo licuit fingere arbitrio,
 Quod omnia sua secum vastus portaret animus:
 Quodque *mens bona* metueret nihil;
 Mens bona, quæ verè regnum possidet:
 Idque nec gazis inhians, nec sine fine componens opes,
 Ne congesto pauper foret in auro,
 Quæ usui data norat, non mancipio, liberali munera sparsit
 manu:
 Pudebatque fortunam animoso adversari genio.
 HUIC
Virtutum Chorus omnis vivam sui impresserat imaginem:
 Pietate in *DEUM*,
 In *superos* obsequio,
 In *Maritum* fide,
 Amore in *Liberos*,
 In *familiares* consilio,
 In *omnes* benevolentia
 Nulli secunda, cum princeps *Catone Censore* istis venisset
 nominibus.

HANC

HANC

Quam tot *Genialium Venerum Charitumque* gratiæ

Jusserant *immortalem*,

Cum roseum foetum luci ederet denuo,
Pallori suo quantum liceret, ut *Mors* ostenderet æmula,

Cum sobole Matrem impallescere fecit ocyus.

HUJUS

Mortalitatis ecquod, quæris, *Remedium?*

Amor illud est.

Quos amor verus tenuit, tenebit:

Superstes erit, dum spiritus reget superstites.

Memoria illud est.

Quâ *CONJUX* facta dictaque secum revolvat,

Quâ famam ac figuram animi & corporis complectetur:

Quâ *LIBEROS* ad contemplationem virtutum materna vocabunt monita:

Quâ formam mentis maternæ suis ipsi enitentur exprimere moribus.

Spes illud est.

Quâ quicquid ex uxore maritus, ex Matre Liberi amarunt,


Quicquid venerati, Quicquid mirati sunt,

Manet mansurumque est in æternitate temporum:

Quod olim munus redditum, *Orpheo felicius*, cernemus

Nunquam perituum!





E L O

Genus, form
Generosus

CATHARINA

â KÜH

DN. JOHAN
CONSILIAR

Conjugis

Pietate

In super

L.

PHILIPPUS JA
Med. & H

ANNO



HÆ
ER,

